



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Difficultates de agro empto Leodij. ib.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1615.

horto Patrum Capucinatorum excelso muro ab hoc distincto. Anno decimo. quarto exeunte huc translatum est Tyrocinium; Et potuissemus quietam possessionem iniuisse Principis Ferdinandi Bavari, & ciuitatis vniuersæ vsi gratiâ nisi à quibus minimè timebatur molestiæ tam importunæ creatæ fuissent vt pene vniuersa deserere, & alias in ciuitate sedes quærere magno dispendio cogeremur. Ij enim qui agrum fundo nostro conterminum incolunt Religiosi viri, vt domum ampliorem & Sacrarium parari penserunt, vel ipsi, vel eorum causa ciues aliqui sermonibus omnia compleuere, Qui homines esse- mus? quid rei acturi? quæ causa mutandæ regionis? quid exteri homines à patria hæresibus infecta, hæreticis amica, tam vicini manibus & portis ciuitatis, loco tam edito, vnde magna pars vrbis conspici, & verò impeti posset? vbi cavernæ subterraneæ, quæ erudis lapidibus ser- uierunt, ducendis possent seruire cuniculis; per quos armati, & armorum instrumenta per fossas sub manibus in ciuium interitum nemine conscio in- tromitterentur; vbi domus in Castrum exurgeret, Templum tanquam equus alter Troianus omnium capitibus immineret. Hæc eorum qui ratione facta metirentur, non dico risu, sed dolore accepta quidem sunt, quod in ciuitate sua Catholica de viris Religiosis pro fide pulsis patriâ, perpeffis carceres, bonorum proscritionem, morte ipsâ tormenta grauiora, eâ spargerentur, quæ in republica bene constituta non possent de sceleratissi- mis sine summa tristitia audiri; In vulgus tamen non solum fabula facti sumus, sed plenus erat pene quotidie ager nolter tumultuantium & oblatran- tium concursu, & periculum non leue discessionis popularis. Auxit turbatio- nem libellus exhibitus Magistratui, quo querela proponebatur quod viæ pub- licæ, & publica emolumenta ciuitatis priuatis vsibus applicarentur, obstru- erentur aditus ciuibus necessarij vel tempore belli ad mania, vel tempore contagionis ad auxilium à consueta Religiosorum hominum caritate ob- tinendum. (Transitus quidam designabatur qui nullo vnquam tempore fuerat publicus) Monebantur præterea vniuersi vt serio perpenderent an è re ciuitatis futurum esset, vt ignoti & exteri homines ea in parte habitarent quæ opportuna videri posset Arci extruendæ, multis ad inuidiam quæsitis argu- mentis ex natura loci, & nostra priuatim conditione. Hic libellus auctorita- te publica ad nos delatus est vnâ cum edicto de nan prosequendis inceptis, donec ostensa area ædificij, de sinceris nostris ac Religiosis cogitationibus esset vnicuique plenius satisfactum. Mandato obtemperare necesse fuit; neq; satis ostendisse contrario scripto quàm ea falsa quamque inania essent quæ dicerentur; Viti primarij iurati, & militum Præfecti omnem fundum & do- mum, omnes meatus & cæuernas inspicientes pronunciarunt non solum pro- cul omne damnum atque damni metum loco ædificioque futuro abesse, sed rem Ciuitati præstari cum primis vtilem atque honorificam: Quo etiam tem- pore spectata fuit Religiosi cuiusdam viri, Professoris Theologiæ, è familia diui Francisci de Obseruantia de nobis testificatio, cum pro Concione in

Aede

Difficulta-  
tes, motæ  
& sopitæ.

Aede summa die veneris Sancto causam nostram defendit. Tandem quando nondum istis omnibus sedaretur tumultus, tum postulatione nostra tum Principis mandato in Amplissimos Arbitros vtrinq̄ue conuentum est, & onerosis licet in nostram partem conditionibus, pacis, & caritatis, & exempli boni studio lis dirempta. Accessit Serenissimi Principis ac Consulium subsequentiū insignis beneuolentia: Is enim datis ad primarios literis domum hanc commendauit; hi in integrum restituerunt; factā potestate quæ ceperamus, prosequendi.

1616.

1617.

X V. Perleueravit cum vicinis controuersia anno vno, Sequenti qui fuit seculi decimus sextus, surrexit ædificium amplum; beneficentia eiusdem gentis Catholicorum, quos licet sub onere persecutionis gementes excitauit spes ingens fructus ad opus promouendum. Enituit inter illos *Georgius Talbottus* (qui deinde in Comitum Salopiensium iura successit) Hic enim & ex tuo, & gratiā quā valebat apud Serenissimum Bauariæ ducem *Maximilianum* (apud quem tum temporis commorabatur) plurimam præstitit operam. Nam venditam possessionem octingentorum aureorum nummūm annuorum in opus impendit; & virtute eximiā atque doctrinā cum magnis Theologis comparandā Duci gratissimus opportunē suggerebat quas pateret domus augustias, & subsidia munificentissima obtinebat. Postquam *Ferdinandus* Princeps Episcopus Leodiensis (Frater *Maximiliani* Bauari) agrū coemptum & domum, & ambulationes in decliui aptè dispositas aliquoties inuississet, & necessitatem dignitatemque operis, *Gerardo* per literas & verbo explicante, concepisset animo, in eam venit lententiam vt ad operis perpetuitatem Prioratus aliquos sui iuris applicaret, qui deinde Nobis in Angliam translatis cedere possent Prouinciæ Societatis Gallo Belgicæ: Interim tamen dum hæc disponuntur deërant multa ad æs contractum dissoluendum, quæ cum beneuolentissimus Princeps suppeditare non posset, ceteriorem fecit *Gerardus* Illustrissimum *Talbottum* apud *Maximilianum* ducem commorantem, qui decimo nono Iunij Anni decimi octauifacti sui rationem reddidit his verbis.

In nouum ædificium extruendū & liberalitas Gergij Talbotti.

”Cum viderem desiderare te meum officium apud fratrem Seniore, non multo post acceptas tuas literas capta occasione benè paratus & meditatus accessi (meo etiam modulo rem Deo cōmendaueram) propoluique statum vestrum præsentē & angustias, explicatā simul, quantum potui operis dignitate; illud etiam quod frater eius agitabat animo, & quod tu hoc tēpore petebas, donec liceret illi præstare quod proposuerat. Placuit Deo ex sua bonitate vt congressus iste mihi eueniret secundus, sic vt bonus Princeps omnia libentissimè concederet, iuberetque rem dari sibi scriptam ad memoriam, id quod certè faciam, & fortè addam latinis illas literas quas ad me à sesquianno miseras. Significauit etiam fratrem proxima quæ daretur congressione his de rebus acturum. Hic tamen non minus quam frater propensus videtur ad vos iuandos, & aget libenter cum fratre de tota re. Nunc vero statuit ad eandem proportionem

Talbotti ad Ioannem Gerardum Relectorem literæ.